

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum**

**Fecht, Johann**

**Francofurti et Spirae, 1684**

**VD17 VD17 3:315948Z**

XXII.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](#)

## XXII.

**Q**UOD PRÆSENTEM AD TE TABELLARIUM, CLARISS. & CHARISS. DN. AFFINIS, MITTO, EX ER-  
PRAEcipue sit causa, quod magno cum Ecclesiæ, & Scholæ nostræ luctu Docto-  
rem Erasmum amisimus.

Is enim cun aliquot septimanis minus benè haberet, nunquam tamen decumbe-  
ret, 19. Februarii mane circa tertiam horam, placide sine ullo mortis sensu diem suum  
obiit.

Vocavi tum ad me statim Doctorem Pappum: & illo præsente, quæ videbantur  
amovenda, amovi, custodienda custodivi, & illi claves dedi. Funus illi 21. Febr. ma-  
gna cum frequentia professorum, studiosorum & civium celebratum fuit. Scio hanc  
mortem tibi non minorem, ac mihi luctum allaturam, ut qui charissimo fratre & af-  
fine, magno nostro cum damno, orbati sumus. Sed moderatè ferendum est, quod  
mutari non potest. Cum autem jam de hereditate delata in communione nobis agen-  
dum sit, rectè feceris, si quamprimum fieri potest, ad nos veneris. Scripti hac quo-  
que de re Wormatiam, & tutorib. liberorum fratris & affinis nostri pè defuncti. Ul-  
rici, idem significavi. Non enim existimo, alios à nobis vocari posse, quia hi tu-  
tores legitimè sunt constituti, & quia removeri vel præteriri non possunt, nisi graves &  
insignes suspicionis, vel male administratæ tutelæ cause aduersus illos probari pos-  
sint. Et propterea hoc iccirco tibi significo, ne forte alii tutores vel constituantur,  
vel constituti ad nos veniant. Postea inter nos de his & aliis agemus, quid facien-  
dum sit.

Ad hanc causam jam accessit altera, ob quam tibi scribendum fuit. Nam quia  
Domino ita placuit Doctorem Erasmum ex hac ærumnosa in Cœlestem vitam evo-  
care, inde factum est, ut in illius locum in Academia alius Theologiae Professor sit  
surrogandus.

Ego rogatus à Dn. Rectore, Decano, Visitatoribus & conventu Ecclesiastico,  
nuncum præsentem non statim ad te misi, sed expectavi, donec illi cum Scholarchis  
egissent.

Omnis autem Scholarchæ, Professores, ministri Ecclesiæ, plurimi in Senatu opti-  
mi viri, plurimi quoq; cives nullum alium, quam te, in locum Doctoris Erasmi sub-  
stitui cupiunt: sicut id ex literis Academiæ & conventus Ecclesiastici abundè potes  
intelligere.

Si jam me consulis, quid tibi faciendum sit, paucis dicam. Condicio, quæ offertur,  
honestissima est, & in eo loco tibi offertur, ubi natus & educatus es: Non est, ut  
multis explicem, quid patriæ quis debeat, & quantum quis patriæ obligatus sit. Ipse  
enim hæc intelligis. Hoc tantum addo: Si quis patriæ præ reliquis inservire tenet  
hic moliantur? quas sæpe turbas excitant? Et propterea, cum per hanc vocatio-  
nem legitimam in patria nostra gloriam DEI multis modis promovere possis, satis  
cognos-

A. 1593.

P A R S   S E X T A .

731

cognoscis, nullam tibi recusandi causam superesse. Nihil adjicio de celebritate loci de plurimis amicis, quos hic habes, nihil quoque de rebus nostris privatis, que a nobis mutuo & præsenti consilio sunt administrandæ. Scio enim unicum illam causam, de qua jam dixi, sufficere. Nec est, quod existimes, te hanc conditionem cum detimento rei familiaris suscepturnum. Vacant enim jam tres Canonicatus, & quidem intra omnes Canonicatus optimus, quem Sopherus olim possedit. Tu saltem vide, ut DEO vocanti obtemperes, nec de salario sis solitus. Tale tibi constitutum, quale nullus Theologus unquam habuit. Itaque te etiam atq; etiam oro, ut propter Ecclesiam & Academiam nostram, propter amicos & propter liberos tuos, qui hic longè melius, ac alibi educari possunt, ita res tuas instituas, & eo animo ad nos quamprimum venias, quod hic in posterum vivere cupias.

Bellum apud nos desit: & pax est constituta. Nos ex præterito bello didicimus, quantum bonum sit pax. Et iccirco imposterum majori studio pacem retinemus.

Quis status sit Ecclesiæ & Academiæ, ex literis Doctoris Pappi & Conventus Ecclesiastici percipies.

Hæc per præsentem significare volui: Tu fac, ut prima quaque occasione hoc te conferas: sed diem mihi prius significa: ut idem tutorib. Wormatiensibus significari possit, quævis forte id melius per præsentem tabellarium in redditu indicari queat. S. 13. Febr. Anno 93. Argentor.

Mitto tibi hic thalerum, quo in præterito bello magistratus in solutione stipendiorum usus est: dabis eum filiolo juniori strenæ loco.

Tibi

Addic̄tis. Affinis

G. Obrechtus.

XXIII.

Salutem in Christo. Reverende & Clarissime Dn. Doctor, amice & Compater honorande.  
Binas tuas literas, 18. Martii, & 11. Aprilis scriptas, una & ab uno eodemque  
tabellario hac hora, qua hæc scribo, accepi, una cum scripto tuo Antipe-  
zeliano: pro cuius communicatione maximas tibi ago gratias, teque hortor,  
imò per Christum rogo & obtestor, ut vel tandem Neostadianæ Admonitio-  
nis refutationem, tempore hoc oportuniſſimo, quo juxta Doctoris Giphaniī  
querelam Calvinistis in Palatinatu, etiam Electorali, interitus imminet, & uti-  
lissimam, & maximè necessariam absolvias, & in lucem edas. Condoleo au-

Z z z z 2

tena